

1585 statim efficere queant, ne adversariis aures præbeant, quos perperam de se sensuros pernoscant; oppida, civitates, arcesque communiant, militum præsidiis adversus insidias, ac machinas firment. Exinde complura de disciplinæ militaris ratione, de militum conditionibus afferebant, qui non gregarii, atque lucri cupiditate stipendia merentes, at Dei Optimi Maximi metu, atque in patriam pietate ducti arma induant, nemini injuriam aut damna inferant; Catholicos demum omnes hujuscœ fœderis socios (quod sanctissimum vocabant) rogare, morum vitæque sanctitate, sacramentorum usu sibi Divinum numen conciliarent, assiduis precibus, solemnibus supplicationibus divinam opem implorarent: persancte polliceri, tantæ rei nulla in parte defuturos, neque arma deposituros, donec vel ea omnia, ob quæ societatem inierant, obtinerent, vel, pro Dei gloria, patriæque amore spiritu effuso, cuncti eodem sepulchro conderentur. Hoc initium Gallici fœderis fuit, quod, licet inducto religionis velo, speciosum ac plausibile videretur; tamen multa eo ac gravissima contegebantur; satisque apparebat, non absq[ue] externorum Principum auxilio atque impulsu adeo sese extollere foederatos potuisse: quod sane brevi inspicere haud difficile fuit, iis cupiditatibus erumpentibus, qui religionis colore illiti tantum apud plebem potuere, ut insitum in suos Reges amorem ac pietatem prorsus evellerent.

Hi motus in Gallia exorti magnarum rerum initia non modo in eo regno, sed in tota republica christiana portendere videbantur: divulgæ potentissimi regni vires, nervi debilitati, fractus vigor; Hispani semper æmuli, ad potentiam in immensum augendam erecti. Henricus neque bellica fortitudine, neque consilio satis validus, atque in tanta rerum omnium jactatione domesticis externisque præsidiis parum fultus, amicorum auxilia ad illud incendium extinguendum exposcebat. Andream Naraultum Messium, oratorem, de singulis Venetos docere, atque ad opem labentibus rebus ferendam incitare præcepit. Is gravi admodum oratione usus est, qua & Galliæ statum, & Henrici consilia exposuit, acriterque in Hispanos est invectus. *Pro pernegatis Belgio auxiliis optime scilicet ab Hispaniarum Rege Henrico repensum, ut ei subje-*

*Andrea  
Naraultii  
Messii,  
Gallici  
oratoris, ad  
Venetos  
oratio.*

*tos*